

VII. Secundum fundamentum, quod est generale, sumitur ex variis principiis, quæ supra disputatione quinta, et præcedenti tomo, disp. xv, tractata sunt. Nam ostendimus præcedenti tomo, quod in actibus supernaturalibus qui a nostris potentiis procedunt, tota ratio agendi est ipsa virtus supernaturalis elevans, non quia sola virtus supernaturalis agat, sed quia ipsa naturalis potentia, quæ elicit actum, non nisi sub illa formali ratione eliciat, quia non nisi ut elevata operatur. Hoc principium late ibi tractavimus, et defendimus. Ex illo vero inferimus sic pro præsentis sententia: ergo bonus usus, et conatus, seu cooperatio potentiæ nostræ non egreditur ab illa, nisi in quantum habet pro ratione formali talis conatus, et cooperationis ipsam gratiam, si quidem tota virtus, et ratio formalis agendi, etiam in ipso conatu, et bono usu potentiæ est ex gratia: ergo talis conatus est effectus ipsius dantis, et causantis gratiam, quia ab ipso, ut a causa, habet totam rationem formalem agendi, et conandi, et cooperandi in actibus supernaturalibus, et ex subiectione ad talem elevationem operatur. Alterum principium tractavimus, et expendimus supra disputatione quinta, ubi ostendimus concursum et conatum nostrum, etiam prout egreditur a nostra potentia subordinari Deo, et ab ipso ut a causa esse, quia etiam prout sic est aliqua entitas, et egreditur a potentia nostra ut entitas quædam: ergo ut creatura: ergo ut causata a creatore, et effectus providentiæ ejus. Sed bonus usus, et conatus in actibus supernaturalibus non est effectus solius providentiæ naturalis, et communis, si quidem est cooperatio efficax ad actus supernaturales, et cum ordine ad gloriam: ergo est effectus providentiæ supernaturalis specialis, et effica-

cis, quæ est prædestinatio. Quod enim talis conatus, et bonus usus ad supernaturalia, et ad ipsam gloriam ordinetur et conducat, negari non potest, cum sit ipsa processio, et emanatio actus supernaturalis a potentia nostra: quis autem dubitet quod emanatio, et processio actus supernaturalis a sua potentia conducat ad ipsum supernaturalem actum? Ergo et ad ipsam gloriam ad quam assequendam ipsa emanatio actus dirigitur, et hoc efficaciter, quia de facto eam assequitur, eique continuatur. Nec Deus præbet alium influxum ad elicentiam illius actus ut a nobis est, quam influxum supernaturalem, nec alio modo ad illum movet, quam motione supernaturali: non enim intelligi potest quod ad illum actum, quatenus a nobis est, influat, et moveat motione naturali, et quatenus supernaturalis, supernaturali, sed unico tantum influxu, et motione movet, eaque supernaturali, alias non posset supernaturalitatem ei impartiri, si supernaturalis non esset: ergo ille conatus, et cooperatio ut est a potentia libera, etiam est effectus gratiæ, et causatus a supernaturali influxu; non solum quia in ipso actu, seu opere, et effectu non relucet aliquid quod sit tantum a nostra potentia, et aliud quod sit a Deo, quasi partim ab uno, partim ab alio, cum totum quod entitas est in creatura sit a Deo, sed etiam quia in ipsa causa creatura, ut causa est talis actus, datur subordinatio, et subiectione ad Deum, ut ad causam supernaturalem, eo quod iste actus etiam ut voluntarius, et a nobis efficaciter ad gloriam ordinetur, et ad eam conducit: ergo est effectus providentiæ specialis, quæ est prædestinatio. Principium autem hoc sic propositum, quod actus noster, et consensus etiam secundum quod exit a nobis subordinetur, et causetur a Deo,

late tractavimus disputatione quinta citata.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Primo, arguitur in favorem sententiæ Molinæ, illis argumentis quibus probari solet supernaturalem virtutem non esse totam rationem agendi in actu nostro supernaturali libero: illis enim videtur probari aliquid esse in actu libero, quod non sit a gratia, si gratia non est tota ratio agendi: ergo illud aliquid quod non est a gratia, prout sic, et sub illa formalitate, non est a prædestinatione, nec effectus ejus. Consequentia videtur certa, quia idem est aliquid esse effectum prædestinationis, et esse effectum gratiæ, cum prædestinatio sit gratiæ præparatio, et specialis providentia supernaturalium effectuum; id autem quod naturale est, et a naturali causa, non est effectus prædestinationis, nisi ad summum per accidens et imperative, non elicitive: et sic actus liber, seu bonus usus liberi arbitrii in actibus supernaturalibus non erit per se, et directive effectus prædestinationis. Antecedens vero, nempe quod gratia seu supernaturalis virtus non sit tota ratio agendi actum supernaturalem liberum, in primis est valde probabile, et consequenter sub eadem linea probabilitatis manebit sententia Molinæ, quod bonum usus liberi actus, et operis meritorii, ut est a libero arbitrio, non sit effectus prædestinationis. Deinde, quia gratia, et virtus quælibet supernaturalis est principium extrinsecum, et ab extrinseco proveniens, scilicet a Deo infundente, et est forma necessario informans, et influens cum libero arbitrio cum non sit forma indifferens, sed determinata ad supernaturalitatem: ergo id quod in actu

meritorio, et bono usu liberi arbitrii vitalitatis, et libertatis, seu contingentiæ est, non potest reduci in gratiam tamquam in propriam, et per se rationem illius, sed reduci debet in principium intrinsecum, quod est ipsa potentia voluntatis secundum innatam, et propriam virtutem, quia solum secundum hanc est principium intrinsecum vitalitatis, et indifferentiæ, seu libertatis ad utrumlibet: ergo utraque virtus, scilicet juvata, et infusa influit, et non altera tantum, scilicet infusa: ergo illa non est tota, et adæquata ratio agendi.

Nec dici potest quod influit quidem utraque virtus, sed innata, non ut præbens rationem agendi, sed ut recipiens, ut elevata, et subordinata virtuti infusæ, et supernaturali, quæ est virtus elevans. Nam contra hoc instatur, et simul confirmatur ratio facta ex differentia, quæ est inter potentiam liberam seu vitalem operantem ex dono gratiæ sibi superadjecto, et infuso ab extra, et aquam, v. g. vel ferrum calefacientem ex calore sibi ad extra proveniente. Nam res inanimis, quia se habet ut pure recipiens formam operativam sibi advenientem, et non supponit in se aliquam innatam virtutem activam, quæ etiam influat in effectivum, dicitur habere totam rationem agendi a forma sibi superadjecta, v. g. a calore, quia nullam operativam a se habet, sed solum receptivam. At vero voluntas vel intellectus ita elevantur a virtute supernaturali, et dono gratiæ, quod supponunt in se virtutem innatam operativam, et non pure receptivam, ratione cujus etiam influunt tali modo, scilicet vitaliter, et libere. Ergo non potest tota ratio agendi in ipsis esse virtus elevans, sed etiam virtus innata, et elevabilis, quia hæc etiam in quantum naturalis, seu innata supponitur ut ope-

rativa, seu influens, et nisi esset activa seu operativa, non esset elevabilis: ergo repugnat quod tota ratio agendi in istis sit supernaturalis virtus, et donum gratiæ, quia id quod supponitur virtuti elevanti, activum etiam est; in rebus autem inanimatis, non supponitur innata virtus activa, sed tota virtus activa est ab extra, et solum ex parte sui est receptiva capacitas, non virtus agens.

Respondetur ad hæc, et ad alia similia argumenta, quæ in hac parte multiplicantur, sed fere ad ista omnia reducuntur, nos late respondisse præcedenti tomo, disputatione xiv, agentes de lumine gloriæ, quomodo sit tota ratio agendi in visione Dei. Breviter dicimus duo.

IX. Primum est, quod in opinione dicente quod virtus gratiæ non est tota ratio agendi in actibus supernaturalibus adhuc bonus usus, et influxus liberi arbitrii, ut a libero arbitrio est, debet dici effectus prædestinationis, non præcise secundum suam substantiam sumptus, sed ut conducens ad actum supernaturalem, quia sine tali influxu, et conatu liberi arbitrii, actus ille non erit. Prædestinatio autem non solum est præparatio gratiæ secundum se, et in abstracto, sed etiam eorum quæ ad gratiam conducunt, eique subordinantur, et ministrant, licet mediate, et imperative, sed non per accidens; aut materialiter, sed per se, et directive, quia ille conatus liberi arbitrii in bono actu non est per accidens, sed per se requisitus, ut talis actus sit, quia liber, et vitalis est. Unde etiam concessa illa opinione de partialitate influxus, ex parte nostræ libertatis, et virtutis innatæ, et ex parte gratiæ, adhuc manet integrum quod ille bonus usus, et conatus noster sit effectus prædestinationis per se, et directe, licet mediate, quatenus per

se conducit ad talem actum supernaturalem, et gratuitum, quia sine tali conatu, per se talis actus non est, perseitate intrinseca, et per se requisita, etiam quarto modo, quia actus ille per se est liber, et vitalis, et in quarto modo per se est a causa libera, et vitali. Unde per se subordinatur prædestinationi talis actus, non sicut aliæ res naturales, sine quibus æque bene potest prædestinatio fieri, ut sine tali ingenio, tali ætate, vitæ brevitate, aut longitudine, tali morte, etc. et tamen etiam hæc quando fiunt, ex prædestinatione fiunt: nam et capillus de capite vestro non peribit, dicebat Christus ad discipulos suos, qui prædestinati erant, Matth. xxiv. At vero quod actus meritorius fiat libere, et vitaliter ita per se requiritur, quod sine hoc non dabitur actus; et sic per se conducit ad effectum prædestinationis, qui est actus meritorius. In alia autem opinione, quod etiam ipse bonus usus, et conatus libertatis nostræ est a virtute gratiæ, ita quod tota ratio boni usus, et conatus ex supernaturali virtute est, a fortiori deducitur, quod bonus ille usus sit effectus gratiæ, et consequenter prædestinationis, quia ab ipsa derivatur.

X. Et hoc est secundum quod dicimus, scilicet quod in rei veritate tota ratio agendi in actibus supernaturalibus, etiam quantum ad ipsum bonum usum, et conatum ortum ex nostra innata libertate habet pro ratione agendi proportionata et habili ad operandum ipsam vim supernaturalem elevantem, non virtutem elevabilem, quæ licet etiam active concurrat supposita elevatione, non tamen proportionatur ad concurrendum, nec rationem formalem motivam habet, nisi ex ipsa ratione supernaturali elevante. Itaque voluntas ipsa, et potentia quælibet naturalis ut sit elevabilis ad

supernaturalem actum, debet esse activa ab intrinseco, et si est libera, debet esse indifferens. et non coartata ad unum, neque istæ conditiones possunt ab extrinseca forma, seu principio provenire: sed tamen proportio, et coaptatio, seu ordinatio proxima ad eliciendum actum supernaturalem, tota provenire debet a forma elevante, et supernaturali, ita quod etiam ipsa vitalitas, et libertas actus supernaturalizari debent: constat enim quod in visione gloriæ vita illa qua vivitur, est vita æterna, quæ in ratione vitæ longe differt a vitalitate naturali. Et idem est de aliis actibus, qui ad istam vitam æternam disponunt, et tendunt, quatenus sic disponunt, et elevant. Et sic tota activitas potentiæ naturalis est activitas improporcionata, etiam in ratione virtutis, et efficientiæ. Unde vocatur ab aliquibus activitas radicalis et remota, non radicalis per modum potentiæ eminentioris, sicut essentia radicaliter continet passiones, quia ex suis visceribus emanant, illisque connectitur, sed radicalis per modum potentiæ obedientialis, quæ solum habet capacitatem ut eleveur, et proportionetur ad illos actus ita superiores, et de se proportionem non habet; et sic non influit aliquid ratione suæ naturalis facultatis in actum, et aliquid ratione formæ supernaturalis elevantis, sed totum influxum præstat per facultatem quidem, et vim activam naturalem, sed ut proportionatam, et elevatam per formam supernaturalem tamquam per rationem formalem, a qua est tota proportio, et consequenter tota ratio agendi proxima, et proportionata, ut latius tractavimus loco citato tomi præcedentis.

XI. Quare ad id quod dicitur esse ad minus ita probabilem sententiam Molinæ, sicut est probabile quod supernaturalis forma non est tota ra-

tio agendi, jam ex dictis constat, quod quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ, tamen sententia Molinæ adhuc illa priori concessa sustineri non potest, quia, ut diximus, etiamsi forma supernaturalis non sit tota ratio agendi in actibus supernaturalibus, tamen quia bonus usus, et conatus potentiæ naturalis conducit per se ad illum, effectus est prædestinationis. Ad id quod dicitur, gratiam esse principium extrinsecum, et necessarium, et sic non posse in illam reduci vitalitatem, et libertatem actus, respondetur esse principium extrinsecum, et necessarium entitative, et ut quod, formaliter autem, et ut quo esse liberum et vitale, id est, entitas illa auxilii, et gratiæ provenit a principio extrinseco, scilicet a Deo, et in se est quædam forma necessaria, et determinate inhærens subjecto, sicut inhæret ipsa voluntas; sed tamen provenit a Deo ut ipsam vitalitatem, et vim activam vitalem, et liberam perficiat, proportionet, et eleveur ad supernaturales actus modo vitali faciendos, et similiter ut illi actus modo libero fiant, et sic est ratio faciendi libere, et faciendi vitaliter, quia ad hoc ipsum datur a Deo qui est principium, et fons illius vitæ, sicut potentia voluntatis inhærens animæ, servit illi pro libertate actuum. Unde cum infertur: Ergo non reducitur in illam vitalitas, et libertas actus, distinguo; tamquam in principium proportionans, et proxime ordinans vitalem potentiam ad actus vitales supernaturales, nego; tamquam in principium radicale, et remotum vitalitatis, et libertatis transeat. Non est autem inconveniens quod actus vitalis, etiam in ratione vitalis, reducatur in aliquod principium extrinsecum, tamquam in formam, et principium proportionans, et elevans potentiam ad aliquem actum superiorem, et